

proinde, qui illam excipiendo opponit, non idcirco fatetur intentionem adversarii (hoc est, quod ecclesia illa revera pertinuerit antea ad actorem, vel quod excipiens fuerit ipsius debitor) quia utrumque potuit fieri, absque eo, quod adversarius habuerit jus ad recipiendam rem permutatam, vel solutam. Oportet proinde, quod adversarius, sive actor, de hoc jure suo aliunde doceat, illudque probet.

91. *Si reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione, tunc ipse sibi praejudicat.* — Resp. II. Quod si vero reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione: tunc ipse sibi praejudicat, atque per ejus confessionem fundatur intentio actoris; ut puta, reus dicit: « Fateor pecuniam a te mihi mutuo datam, sed ego jam solvi; vel, sed tu pactus es mihi de ea non repetenda. » Tunc enim per talem confessionem rei de recepta mutuo pecunia, fundata est intentio actoris; adeo, ut actor relevetur ab onere probandi debitum, et reus efficiatur onere probandi exceptionem, ac nisi hanc probaverit, condemnatus sit: quia in tali casu confessio est separata ab exceptione. Ita Abbas c. *Exceptionem*. n. 26. vers. *Quartam opinionem*. h. t. istud probans ex l. *Si quidem*. c. h. t. ubi dicitur: « Si vero de hac (intentione actoris) confitendo, exceptione te munitum asseveras, de hac tantum agi convenit: » Concordant dicta superius tit. 18. *De confessis*. § 5. n. 117. et seqq. agendo de confessione qualificata.

92. *Excipiens confitetur factum in exceptione contentum.* — Resp. III. Insuper certum est, quod excipiens confiteatur factum in exceptione contentum; puta, quod juxta casum cit. c. *Cum venerabilis*. 6. h. t. facta fuerit quaedam permutatio ecclesiarum. Ita Abbas cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. h. t. et alii. Hinc in c. *Ex parte Decani*. 33. *de Rescript.* cum reus nobilis excipiendo proposuerat, procuratorem V. a se fuisse revocatum ante impetrationem certarum litterarum apostolicarum (de quibus ibidem sermo est) actor in hac ipsa revocatione procuratoris V. veluti confessata, postmodum se fundavit; et quasdam alias litteras apostolicas, ab eodem revocato procuratore V. impetratas, invaliditatis redarguit, quæ etiam fuerunt cassatæ: sicque patet, quod excipiens confiteatur factum in exceptione allegatum.

93. *An si reus opponat exceptionem peremp-*

toriam et in ejus probatione deficiat, condemnatur tanquam confessus? — Et conformiter dictis patet solutio ad illam quæstionem, an si reus exceptionem peremptoriam opponat, v. g. solutionis, vel præscriptionis; et postea in ejus probatione deficiat, condemnatur tanquam confessus? Resp. enim cum Engel h. t. n. 6. allegante Abbatem cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. eod. sub distinctione, quia reus deficiens in probatione suæ exceptionis, vel postea negat intentionem actoris quoad jus, puta dicendo: « Fecimus quidem contractum; sed nego ipsum esse validum: » et erit audiendus; cum nemo prohibeatur uti pluribus exceptionibus, etiam diversis, l. *Nemo prohibetur*. ff. *de Reg. jur.* atque amplius dicitur n. 81. et seqq. Vel reus vult negare intentionem actoris quoad factum, jam per suam exceptionem confessatum; et non auditur amplius, nisi de errore docuerit, conformiter dictis supra tit. 18. *De Confessis*. § 3. n. 77, 78 et 80.

94. *Si reus est certus, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare, non excipere: et cur?* — Cæterum in praxi notandæ sunt ex l. *Siquidem*. c. h. t. sequentes cautelæ. Prima est: si reus est certus, vel confidit, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare (intellige, ubi conscientia, et veritas non est in contrarium) non autem excipere. Quia excipiendo onus probandi in se suscipit, nam reus in exceptione et actor. l. I. ff. h. t. Si autem negat, actore non probante reus absolvitur, l. *Qui accusare*. c. *de Edendo* et c. *Cum ecclesia*. § fin. *de Causa possession.* cum similibus.

95. *Quod si dubitet, num actor valeat probare intentionem suam, potest negationem et exceptionem cumulare; et quomodo?* — Secunda cautela ibidem expressa, est: Quod si vero reus dubitet, num actor valeat sufficienter intentionem suam probare, potest negationem et exceptionem cumulare, dicendo v. g. « Nego, vel non confiteor, me accepisse mutuum a te; sed si esset, aut probaretur, dico me tibi solvisse; » et idem dicendum de aliis exceptionibus. Atque hunc excipiendo modum, tanquam securissimum, commendat Glossa cit. c. *Cum venerabilis*. vers. *Confessus*. h. t. et Abbas ibid., n. 26. et 27; et Dynus in reg. *Exceptionem*. n. 3. *de Reg. jur.* in 6. Nam quia circa propositum extant diversæ doctorum sententiæ, ut videre est apud Abbatem loc. cit. ut evitetur quævis controversia, oportet reum esse cau-

tum, quod taliter excipiat, ut nullo modo videatur fateri.

96. *Potest quis ubi pluribus exceptionibus, etiam contrariis.* — Quæritur III. An possit quis uti pluribus exceptionibus, etiam contrariis? Resp. affirmative; *Text. clar.* l. *Nemo prohibetur*. ff. h. t. ibi: « Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint. » Concordat. reg. 20. juris in 6. ibi: « Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. » Et ratio est, quia defensio est de jure naturali, sicque nulli deneganda. l. *Vim vi*. ff. *de Justit. et Jur.* et Clem. *Pastoralis*. § *Cæterum, de Sentent. et de re judicat.* Atqui exceptio, est aliqua defensio; ergo non debet cuiquam denegari, etiamsi sit multiplex.

97. *Cum successive.* — Hinc si quis conventus a principio negavit debitum, sicque proposuit exceptionem facti, potest nihilominus postmodum alias exceptiones proponere; prout habetur expressum l. *Nemo ex iis*. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Nemo ex iis, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediatur: » cujus prohibitionis exempla nonnulla refert Glossa ibid. vers. *Nemo*. Item, si quis a principio proposuit exceptionem minus utilem v. g. jurisjurandi, vel pacti quæ sibi non competebat; potest deinde proponere aliam magis utilem, v. g. rei judicatæ, præscriptionis, aut hujusmodi, l. *Is qui*, ff. h. t. et alibi.

98. *Cum etiam simul, saltem, disjunctive.* — Quinimo non solum successive, sed etiam simul, possunt proponi exceptiones contrariæ, arg. c. *Auditis*. 15. *de Præscriptionib.* ubi Abbas de Hevesca contra episcopum Vigoniens. opposuit contrarias defensiones, seu exceptiones; videlicet privilegium, et præscriptionem: nam « quod meum est (puta virtute privilegii) ex alia causa meum fieri non potest (puta jure præscriptionis) nisi desierit esse meum; » prout loquitur textus in c. *Inter dilectos*. § *Cæterum, de fide instrument.* junctis concordantiis Glossa ibid. vers. *Quod meum est*, relatis. Quamquam in eo casu, quo quis exceptiones contrarias simul opposuit, intelligatur illas opposuisse disjunctive, ut si unam non potuerit probare, alteram probet, arg. cit. c. *Auditis*. ac notat Abbas ibid. n. 24. et Innocentius circa medium. *de Præscript.* Concordat textus jam allegatus ex cit. l. *Nemo prohibetur*. ff. h. t. juncta Glossa un. ib. cum similibus.

99. *Actor non potest simul plures actiones instituere super eadem re, bene tamen reus*

pluribus exceptionibus uti; et cur? Reus excipiendo fit actor necessarius. — Dices. Actor non potest simul plures instituere actiones super eadem re, cit. l. *Nemo ex iis*. § fin. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum experiri debet: » juncta l. *Quod in hærede*, ff. *de Tributor. Action.* Atqui reus excipiendo fit actor. l. I. ff. h. t. ergo. Resp. majorem procedere de actore voluntario, seu de eo, qui prima vice actionem contra alterum intentat; sicque in ejus potestate est, an, quando, et quomodo velit provocare ad judicem, ac proinde tenetur venire paratus, et eligere: quia velit actione experiri. Secus autem dicendum est de reo, qui excipiendo fit actor necessarius, atque permittente sic jure naturali potest se defendere modo, quo potest meliori, sicquæ pluribus exceptionibus uti. Accedit, quod leges plus subveniant illi, qui necessario agit, quam qui omnino libere, c. *Ab arbitrio de offic. delegat.* in 6. junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. relatis.

§ IV.

DE EXCEPTIONIBUS IN JUDICIO SUMMARIO, AUT SUMMARISSIMO PROPONENDIS.

100. *Utrum exceptiones in judicio summario sint admittendæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur I. Utrum exceptiones præsertim requirentes altiore indaginem, admittendæ sint in judicio summario? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex Clem. *Sæpe contingit*. § *Nos autem, de Verb. signif.* ubi pontifex loquens de judicio summario, in quo simpliciter ac de plano proceditur, inter alia judici mandat, ut « amputet dilationum materiam: litem quantum poterit, faciat breviores exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo. » Verum his non obstantibus:

101. *In hoc non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant frustratoriae.* — Resp. I. In judicio summario non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant frustratoriae, et quidem fortius in eo, quam in aliis judiciis. Ita Glossa in cit. Clem. *Sæpe contingit*. vers. *Amputet.* et seqq. et Abbas ibid. n. 36. asserens, per dictam Clementinam quantum ad hoc nihil poni speciale; nisi quod in judiciis summaris magis quam in aliis, debeat judex labo-

rare ad litem abbreviandam. Hoc ipsum tradit Ancharanus in ead. Clem. n. 19. et Imola ibid. § *Glossa dilationes*, et alii. Idque desumitur ex verbis dictæ Clementinæ, utpote in qua non absolute dicitur, repellendas esse exceptiones; sed cum addito: «Exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo.»

102. *Solvitur ratio dubitandi.* — Et per hoc patet solutio rationis dubitandi, ex cit. Clem. *Sæpe contingit*. proxime adductæ. Procedit enim duntaxat in exceptionibus frustratoriis, utpote de quibus loquitur dicta Clementina: secus in legitimis.

103. *Et probatur, in judicio summario admittendas exceptiones legitimas.* — Accedit ratio prioris partis conclusionis: quia rationabiles, seu legitimæ exceptiones, sunt arma, clypei et lorice reorum, juxta Glossam ad rubric. h. t. ergo nullo modo, ne quidem in judicio summario, sunt denegandæ reis; cum pertineant ad justam horum defensionem, jure naturali omnibus injuste molestatis concessam; ut l. *Vim vi*. § *Cum*. ff. de *Vi et vi armat.* junctis dictis supra n. 82. Confirmatur hoc ipsum per textum expressum in c. *Ex parte tua*. 13. de *Offic. delegat.* ubi non obstante forma litterarum apostolicarum, delegatus papæ «debet rationabiles exceptiones admittere.» Unde quamvis hæc clausula, «Sine aliqua exceptione,» omne videatur excludere exceptionem, arg. l. *Thais ancillas*. § *Stichus servus*. ff. de *Fidei commissar. libertat.* ea tamen non tollit exceptiones rationabiles, seu legitimas. Glossa cit. c. *Ex parte tua* vers. *Nullæ de Offic. delegat.* istud, præter textum ibid. ulterius firmans ex c. *Audita*. 4. de *Restitut. spoliat.* et l. *Obligatione*. ff. de *Pignorib.* cum similibus. Barbosa tract. de *Clausulis*. claus. 156. n. 2. post Rebuffum in *Compend. alienat.* n. 49.

104. *Præsertim, si non requirant altiorem indaginem.* — Atque illud vel maxime procedit, quando exceptio cæteroquin rationabilis non requirit altiorem indaginem: quia tunc omnino admitti, atque antea desumpti debet exceptio, etiam in judicio summario. Abbas c. *Cum dilecta*, n. 22. de *Confirmat. utili vel inut.* id probans per textum ibid. dum pontifex a principio facile admisit exceptionem præscriptionis propositam contra innovationem privilegiorum, dum arbitrabatur, eam per delegatos suos brevi expediendam: sed cognito, quod dicta exceptio longiorem tractum temporis requirat, ea non obstante pro-

cedendum duxit ad innovationem memoratorum privilegiorum.

105. *Exceptiones frustratoriæ in eo sunt repellendæ, et quidem fortius, ac in aliis causis.*

— Altera pars conclusionis, seu quod in judicio summario repellendæ sint exceptiones frustratoriæ, atque frivolæ (hoc est, fragiles duntaxat, ac nullius solidi fundamenti; sicque deservientes solummodo ad malitiose procrastinandam litem) patet ex textu jam allegato d. Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* juncta Glossa vers. *Dilatorias*. et doctoribus ib. Qui addunt, quamvis judex in omnibus causis laborare debeat, ut litem, quantum fieri potest, breviorum reddat, exceptiones, dilaciones, et appellationes frustratorias repellendo, ac nimiam testium multitudinem refrænando; ut l. I. c. de *Dilatione*. et l. *Properandum*. § 1. c. de *Judiciis*. et c. *Finem litibus*. 5. de *Dolo et contum.* cum similibus: tamen fortius fieri possit, et debeat in judicio summario, utpote in quo procedendum, est simpliciter, ac de plano, et sine strepitu; sicque contentiosis, aut indiscretis vocibus, vel (quod deterius est) obstinatis disceptationibus obstrepere non licet, can. *In loco*. 5. q. 4.

106. *An exceptiones dilatoriæ in judicio summario repelli debeant, distinguendum est. Ubi repelluntur frustratoriæ; non vero legitimæ exceptiones dilatoriæ, si hæc non requirant altiorem indaginem.* — Resp. II. Utrum in judicio summario repelli debeant exceptiones dilatorias, quæ sunt frivolæ, seu mere frustratoriæ, non esse admittendas, patet ex proxime dictis. Econtra vero plures reperiri legitimas exceptiones dilatorias, quæ in judicio etiam summario admitti debent, neque sine injuria partis rejici possunt, præsertim si non requirant altiorem indaginem, in confesso est. Sic enim exceptio pacti de non petendo ante tempus, procul dubio admitti debet; ut cap. un. de *plus petition.* Idemque dicendum de exceptione spolii; cap. i. ac seqq. de *Restitut. spoliat.* et aliis hujusmodi, quæ non requirunt altiorem indaginem.

107. *Exceptio altiorem indaginem requirens, quæ sit judicis arbitrio relinquatur.* — Porro, quænam in casibus particularibus censeatur «exceptio altiorem indaginem requirens,» nec ne, prudentis judicis arbitrio est relinquendum, qui pensatis qualitate causæ, et personarum, aliisque circumstantiis id dijudicabit. Menochius lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 20. n. 3, citans Romanum in rubric. de

Arbitris. n. 30; Cravettam consil. 156. n. 17; Socinum sen. consil. 59. et alios. Concordant in simili dicta superius tit. XIX. de *Probationibus*. § 3. n. 60. et alibi.

108. *Exceptiones dilatoriæ legitimæ, etiam altiorem indaginem requirentes, sunt admittendæ in judicio summario, quando absque earum examinatione in causa procedi nequit sine magno ipsius causæ præjudicio.* — Resp. III. Loquendo de exceptionibus dilatoriis cæteroquin legitimis, sed altiorem indaginem requirentibus, rursus oportet distinguere, utrum harum aliqua rejecta, vel ad finem causæ reservata, possit in ejusmodi causa procedi absque magno talis causæ præjudicio, nec ne. Et si quidem absque examinatione oppositæ exceptionis in causa procedi nequeat sine magno ipsius causæ præjudicio (puta, quia sententia lata tribueret jus finale, quod amplius reparari non posset, nisi per appellationem, vel restitutionem in integrum, etc.) tunc exceptio, etiam altiorem indaginem requirens, non potest repelli, neque ad finem causæ reservari in judicio summario, sed debet antea examinari. Ita desumitur ex l. 3. § *Ibidem*. ff. de *Exhibendum*. ubi istud exemplificatur de exceptione pacti conventi, doli mali, jurisjurandi, et rei iudicatæ: nam si talis exceptio antea non admitteretur, neque cognosceretur, auferretur parti excipienti jus suum, et tolleretur cognitio veritatis: quod est illicitum. Menochius de *Arbitrar. judic.* lib. I. quæst. 53. n. 2. Bartolus in *Extravag. ad reprimendum*. n. 4. vers. *Et aliud est dicere*, istud ulterius probans ex l. *Judices*. c. de *Judiciis*. Abbas c. *Cum dilecta*. n. 22. et 24. de *Confirmat. utili*. Ancharanus in Clem. *Sæpe contingit*. n. 19. de *Verb. signif.* et alii.

109. *Secus quando in causa procedi potest absque ejusdem præjudicio.* — Quod si vero rejecta, vel ad finem causæ dilata exceptione altiorem indaginem requirente, possit procedi in causa summaria, adeo ut sententia lata non pariat magnum præjudicium; vel pariat duntaxat tale quod per aliud judicium potest reparari absque appellatione, vel restitutione in integrum, aut alio consimili remedio: tunc exceptio illa poterit repelli, vel saltem ad finem causæ differri, ac interim procedi in judicio summario. Ita Glossa in *Extravag. seu Auth. ad reprimendum*. vers. *Summarie*. et Bartolus ib. n. 14; Abbas d. c. *Cum dilecta*. n. 22. de *Confirmat. utili*; Barbosa in *Collectan.* ad Clem. *Sæpe contingit*.

n. 4. de *Verb. signif.* et tract. de *Clausulis*, claus. 176. n. 16. Card. Tuschus litt. c. concl. 366. n. 3. post Oldradum consil. 115. vers. *Frustratoria*; Fagnanus c. *Lator*. n. 70. et 81. *Qui filii sint legit.* ubi in simili cum aliis asserit, quod exceptio turbida, et altiorem requirens indaginem, non admittatur in judicio possessorio, v. g. legitimitatis, sed ad petitorium sit rejicienda.

110. *Atque istud probatur.* — Id ipsum probatur tum ex textu Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* jam relato n. 100, tum ex c. *Cum dilecta*. 4. de *Confirmat. utili*. ubi pontifex exceptionem illam, quam a principio veluti celeriter per suos delegatos expediendam admiserat, intelligens indigere longiori indagine, postea non amplius attendit, sed innovationem privilegiorum, quæ petebatur, faciendam curavit; uti notat Abbas. ubi supra, per hoc datam conclusionem probans. Accedit textus in l. III. § *Ibidem*. ff. de *Exhibendum*, statuens, quod si exceptio sit «obscurior, vel quæ habeat altiorem quæestionem, differenda sit in directum (sive ordinarium) judicium, re exhiberi jussa.» Ubi proinde Bartolus in *Summario*, inquit: «Exceptiones, quæ requirunt altiorem indaginem, in causis summariis non admittuntur, sed in causis principalibus reservantur.» Hoc ipsum probatur ex l. *Ille a quo*. § *Si de testamento*. ff. de *S. C. Trabellian.* juncto Alexandro ibid. in *Summario*.

111. *Judicium summarissimum, quod?* — Queritur II. Quod dicendum sit de judicio summarissimo, et an in eo locum habeant exceptiones? Resp. I. «Judicium summarissimum» dicitur illud, in quo ob periculum in mora proceditur brevissime. Nam, ut inquit Glossa in *Auth. ad reprimendum*. vers. *Summarie*, verbum istud *summarie* idem est, ac *breviter*, sive *summatim*. Unde summarissimum judicium idem sonat, ac brevissimum, in quo videlicet judex procedit sola facti veritate inspecta; ac sublatis omnibus solemnitatibus juris positivi, manu regia, et secundum propriam conscientiam judicare potest. Barbosa cit. Claus. 176. n. 3. et 6. et 7. ita cum aliis declarans clausulam *summarie*.

112. *Solet declarari per possessorium retinendæ. Appellatur judicium interim, sive Summarissimum possessorium.* — Atque hujusmodi judicium summarissimum passim doctores declarare solent per possessorium retinendæ, quando uterque litigantium contendit se possidere: ita quidem, ut neuter

eorum libellum offerre, seu partes actoris sustinere velit; ac proinde periculum subsit, ne partes illæ veniant ad arma. In tali quippe casu iudex ex officio instituit « Judicium summarissimum (quod alii appellant iudicium interim, sive summarissimum possessorium) » in quo vocatis ambabus partibus, earumque fundamentis auditis summatim cognoscit, uter ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque sciatur, quis debeat sustinere partes actoris in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio. Fachineus lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. xv. circa init. Ludovic. ab Ecclesia, « Observationes forenses senatus Pedemontani, » observ. 189. n. 1; Covarruvias *Practic. quæst.* cap. xvii. n. 1. et seqq.; Menochius *de Retinend. possess.* Remed. ult. n. 1 et seqq. alique ab his relati. Ubi

113 et 114. *Judicium retinendæ possessionis, duplex: ordinarium, seu plenarium; et possessorium summarium, seu potius summarissimum: idque declaratur.* — Sciendum est, quod communis doctorum duplex statuatur « iudicium retinendæ possessionis, sive (ut alii loquuntur) duplex possessorium retinendæ. » Unum dicitur « ordinarium, seu plenarium, » in quo videlicet juris ordine servato proceditur, ac principaliter et absolute de possessione partium disceptatur: unde et plena causæ cognitio adhibetur, num actor rem, de qua controversitur, vere possideat, et quidem non ei, nec clam, nec precario, arg. l. I. ff. *Uti possidetis.*; Fachineus cit. lib. VII. cap. xv. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 7. n. 2 et 4. Ubi cum aliis notat, quod sententia in hoc iudicio lata, non sit modici præjudicii, quia est diffinitiva: neque aliam post se super possessorio expectat sententiam, nisi fuerit appellatum; ideoque magni momenti est, juxta textum in § *Retinendæ. Instit. de Interdict.* et hoc fit propter multiplicia commoda possessionis, superius tit. XII. *de Causa possessionis proprietatis.* § 2. n. 39. et seqq. ex professo jam declarata.

Alterum vocatur « Possessorium summarium, » seu potius « summarissimum, » in quo iudex summatim cognoscit, quisnam ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque in sua possessione manutenendus sit, salvis cæteroquin juribus partium tam in possessione, quam in proprietate, donec de his in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio, plenarie cognoscatur. Atque hujus-

modi iudicium summarissimum præcipue instituitur ad eum finem, ne lite diutius pendente partes ad arma veniant. Declarat istud Menochius cit. remed. ult. *de Retinend. possess.* n. 1. et seqq. in casu, quo duo de eadem possessione litigant, et ambo contendunt se possidere, atque controversiam hanc non iudicio, sed armis diffinire gestiunt: dum videlicet uterque sua auctoritate, atque manu, in possessione sese tueri conatur; uterque armis bene munitus, et sociorum auxilio stipatus adversarium terrere, atque ne ad possessionem accedat, repellere studet tunc enim, quia iudicis officium expostulat, publicam pacem, et reipublicæ quietem illasam servare, is utrique parti jubere, atque sub pœna indicta præcipere solet, ne ad eam possessionem accedere audeant, sed ipsam sub sequestro apud se relinquunt. Quo facto diligens iudex utriusque partis summarias informationes, seu documenta juris sui super possessione, ex officio sumit, et deinde pronuntiat illum, qui tempore litis motæ in possessione, seu verius detentione fuerat, interim possidere debere, donec causa illa in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio, plenarie finiatur. Ita iudicium summarissimum (sive, ut alii loquuntur, « iudicium interim vel possessorium summarissimum ») describit Menochius loc. cit. allegans alios, et pro se adducens textum notabilem in l. *Liberis.* § fin. ff. *de Liberali causa.*

115. *Sententia in summarissimo iudicio lata, est solum interlocutoria, non diffinitiva. Nec offert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium. Secus dicendum de sententia lata in possessorio ordinario.* — Porro sententia in hoc iudicio summarissimo lata inter principium et finem ipsius causæ possessorii; non vero diffinitiva. Menochius cit. remed. ult. n. 46; Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xvii. n. 2; Gailus d. lib. I. observat. 7. n. 6. et alii. Simulque sententia in ipso lata non offert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium; eo quod feratur ad interim solam, et salvo jure litigantium in possessione, et proprietate. Lud. Postius *de Manutendo.* observat. 2. n. 32. et alii. Ac proinde præjudicium illud est reparabile tam in possessorio ordinario, quam in petitorio: qua de causa etiam appellatur « Momentaneum possessorium. » Gailus cit. observat. 7. n. 5 et 6. Quamquam iudex dictam sententiam interlocutoriam extra possessorium ordinarium, vel petitorium, amplius revocare non possit; eo

quod ipsa secum trahat executionem, dum jubet unum ex contendentibus in possessione esse, alterum ab ea abstinere: haud obstante quod alioquin sententia interlocutoria revocari possit, l. *Quod jussit.* ff. *de Re iudicat.* Menochius loc. cit. n. 56. quidquid nonnulli apud ipsum in oppositum teneant.

116. *In iudicio summarissimo non admittuntur exceptiones tangentes proprietatem rei.* — Resp. II. In iudicio summarissimo, seu iudicio interim, nulla admittitur exceptio, quæ vel rei proprietatem tangit; vel alioquin est turbida, seu requirit altiorem indaginem. Ita Menochius cit. remed. ult. n. 43; Ludovic. Postius d. tract. *de Manutendo,* observat. 42. n. 67. 68. et seqq. allegans Rotam in Romana, seu Terracinens. Afflictus coram R. P. D. Pirovano, post tract. decis. 215. n. 16. Fontanell. *de Pact. nuptial.* claus. 7. Gloss. 3. part. X. n. 75, tom. poster. Gratian. *Discept. foren.* cap. cmxxvi. n. 27. cum plurimis aliis. Ratio prioris partis conclusionis est: quia iudicium possessorium, nihil habet commune cum petitorio; ut l. *Naturaliter.* § 2. ff. *de Acquirend. possess.* ibi: « Nihil commune habet proprietatis cum possessione. » Atqui iudicium summarissimum hætenus explicatum, est possessorium; ergo non mirum, quod in eo non admittantur exceptiones, quæ tangunt proprietatem rei; hæ enim pertinent ad petitorium, non ad possessorium. Idem a simili confirmatur ex causa restitutionis spoliatorum, ubi probata rei cuiuspiam præhabita possessione, et facta ipsius spoliatione, non admittitur exceptio proprietatis rei, sed spoliatus ante omnia est restituendus, cap. i. et seqq. *de Restitut. spoliat.* estque supra eod. tit. XIII. § 3. n. 48. et seqq. ex professo jam dictum.

117. *Nec turbidæ, seu requirentes altiorem indaginem.* — Altera vero pars conclusionis ex eo probatur: quia possessorium summarissimum non tam veram et propriam possessionem respicit, quam statum rei, qui erat tempore motæ litis, aut paulo ante; ut notat Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xvii. n. 5. vers. *Sic sane;* Postius cit. tract. *de Manutendo,* decis. 322. n. 3; Menochius d. remed. ult. n. 18. allegans alios. Ergo probata semel per summarias informationes, sive documenta, præhabita possessione, aut verius detentione alicujus rei erit quis manutenendus in dicta detentione, donec contrarium probetur, l. *Si quis ante.* ff. *de Acquirend. possess.* et l. *Attilius Regulus.* ff. *de*

Donationib. Ubi non solum habens veram possessionem, sed etiam detentionem cujuspiam rei tempore motæ litis, dicitur manutenendus in ea: sicque merito in iudicio summarissimo repelluntur exceptiones turbidæ, atque altiorem indaginem requirentes, donec causa possessoria principalis, vel etiam petitoria instituat, in eaque doceatur de jure actoris, juxta dicta superius tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis.* § 7. n. 223. et 224. ac seqq.

118. *Atque istud varie exemplificatur.* — Inferitur proinde, quod in hujusmodi iudicio summarissimo non possit iudici objici exceptio excommunicationis, altiorem indaginem requirens. Menochius cit. remed. ult. n. 43. Neque in beneficialibus defectus tituli. Menochius eod. n. 43. Nec admittatur in hoc iudicio testium repulsatio. Menochius ibid. n. 41. et Covarruvias cit. cap. xvii. n. 4. vers. *Septimo est.* Neque exceptio invaliditatis provisionis. Postius, ubi supra, decis. 42. n. 68. post Rotam in Romana domus, coram R. P. D. Ghislerio, et plures alias decisiones, quas allegat. Quinimo omnis ab hoc iudicio aliena dicitur exceptio, quæ in continenti (hoc est, intra terminum probatorium, seu instantiæ) non probatur. Postius d. observat. 42. n. 73. citans Rotam in Romana Fideicommissi de episcopis, coram R. P. D. Verospio. Ratio horum est, quæ supra: quia videlicet in possessorio summarissimo non tam agitur de vera possessione, quam de statu rei, qui erat tempore motæ litis, vel paulo ante: unde exceptiones hujusmodi statum rei non respicientes, merito rejiciuntur; cum hæc sint impertinentes, et potius spectent ad possessorium principale, vel iudicium petitorium, ad quod proinde remittuntur, seu reservantur examinandæ.

§ V.

DE EXCEPTIONE EXCOMMUNICATIONIS, ET QUIBUSDAM ALIIS EXCEPTONIBUS IN SPECIE.

119. *Excommunicationis nomine absolute posito, intelligitur excommunicatio major. Exceptio excommunicationis potest a reo contra actorem proponi tam ante litis contestationem, quam in qualibet parte iudicii, etc.* — Quæritur I. Quo tempore, qua ratione opponi possit, ac debeat exceptio excommunicationis? Resp. I. Exceptio excommunicationis majoris (quæ sub *Excommunicationis* nomine abso-